



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VIII. Nonnulla expediuntur de natura vniuersalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

illius, non posset intellectus discernere inter obiectum denud apparen, & antea cognitum propter imperfectionem vtriusque cognitionis. Alio modo potest esse cognitio confusa, quæ duplex obiectum attingat de facto per se ipsam, & neutrum ab alio discernat. Exemplum prioris cognitionis habes in Petro à longè viso, quem tantum vides; diceris autem confusè videre Petrum, quia si loco Petri substitueretur Ioannes, & inciperes videre Ioannem, & non Petrum, non posses discernere inter Ioannem, quem modò videres, & Petrum antea visum. Posterioris cognitionis exemplum esto visio terminata ad Petrum & Ioannem à longè existentes, quos adeò imperfectè vides vt propter nimiam loci distantiam, & obiectorum approximationem, & similitudinem, appareant sensui & intellectui, ac si tantum essent vnus homo, ita vt intellectus ex imperfectione visionis duos homines instar vnus apprehendat, & ex hac imperfecta apprehensione fundamentum desumat ad iudicandum obiectum sensu perceptum esse tantum vnum hominem. En duplicem cognitionem vtramque confusam, quarum vna attingit tantum obiectum in se vnū. & altera attingit obiecta in se plura, & instar vnus, seu eodem modo, ac si essent vnus obiectum. Ex his cognitionibus illa quæ plura attingit obiecta proprius confusa seu confundens dicitur, quia actu illa, quæ in se sunt distincta confundit. Prior verò vnus tantum obiectum attingens non ita propriè potest dici confundens, sed confusa dicitur, quia ex vi illius non poterit intellectus discernere obiectum cognitum ab alio, quod denuo incipiat apparere. Dicitur propriissimè vtraque cognitio non distinguens, quia neutra distinguit obiectum, seu obiecta in se singularia, ad quæ terminatur, ab aliis eiusdem rationis cum ipsis. Et hanc singularium indistinctionem essentialiter habet omnis abstractiua cognitio, quæ cōuenit cognitioni abstractiue naturam ab vno indiuiduo, quâ ratione abstractionis habet ex eo, quod ita cognoscat indiuiduum, vt ex vi illius cognitionis non possit intellectus illud discernere ab alio, quod cognouerit, vel cognoscere incipiat, quod prouenit ex eo quod illud cognoscat per operationes, quibus alias similes in quocumque alio indiuiduo cognoscat. Habet insuper cognitio abstractiua per se ipsam confundere omnia illa, quæ attingit secundum illam rationem, à qua dicitur abstrahere, seu præcindere, quia eo ipso quod attingat plura, & inter illa non distinguat, illa necessariò confundit, & per modum vnus cognoscat; actu verò plura per se ipsam confundere non est de ratione cognitionis præcisiue vniuersaliter sumptæ, sed de ratione cognitionis præcindentis à pluribus.

9 Ex his ad rationem Hurtadi respondeo cognitionem præcindentem naturam ab vno indiuiduo tantum attingere vnus indiuiduum à cuius differentia dicitur naturam abstrahere, & reliqua omnia nullo modo per se ipsam respicere. Instabis; natura abstracta tantum à Petro, tantum est prædicabilis de Petro: ergo natura abstracta tantum à Petro, & Ioanne, tantum poterit prædicari de Petro, & Ioanne: ergo vt natura possit prædicari de omnibus indiuiduis debet ab omnibus abstrahi. Respondeo has omnes conuenientias esse legitimas, & vera omnia conuenientia, & absque formidine admittenda.

10 Sit ergo firmum naturam ab vno indiuiduo abstractam vniuersalem non esse. Non tamen ideo danda est vnitas aliqua media inter vniuersalem, & particularem; sed dicendum naturam abstractam ab vno indiuiduo in se habere vnitatem singularem, & ex parte obiecti esse positiue singularem, præcipue in nostra sententia, quæ nulla præcognitionem ex parte obiecti admittit; in ordine verò ad nostrum intellectum neque positiue erit singularis, neque positiue vniuersalis, aut aliquam positiuam vnitatem habebit, sed tantum negatiuam, quæ poterit dici negatiue vniuersalis, quia habet præcisionem à differentiis, quæ requiruntur ad hoc vt natura denominetur vniuersalis, non tamen habet aliud prærequisitum ad vniuersalem, videlicet in re esse plura, & posse in plura diuidi, quæ actu cognitione confundantur, poterit etiam dici negatiue singularis, quia habet hoc quod est non posse in plura diuidi, quod est de ratione singularis, & non habet in ordine ad intellectum præcindentem ex parte actus differentiam indiuidualem, cui intellectus indiuidualem attribuit.

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

PUNCTVM VIII.

Nonnulla expediuntur de natura vniuersalis.

1 Circa actum intellectus, per quem fit vniuersale, aliquæ difficultates occurrunt, quas breuiter percurram. Prima esto: an vniuersale fiat non tantum per abstractionem negatiuam, sed per abstractionem, seu præcisionem positiuam. Præcisio negatiua est cognitio illa, ex vi cuius vnus prædicatū cognoscitur alio nullo modo cognito: v. g. cognitio respondens huic voci *animal*, quæ nullo modo rationale attingit. Præcisio positiua est illa cognitio, ex vi cuius prædicata realiter identificata per eandem cognitionem attinguntur ac si inter se distinguerentur, & essent coniuncta, seu vnita, vt contingit in cognitione respondentis his vocibus *animal rationale*. Per abstractionem negatiuam fieri vniuersale mihi certum est, neque caput inuenio, ex quo possit oppositum in questionem verti, per illam enim cognitionem illa, quæ in re sunt plura, confunduntur, & extrinsecè sunt vnus. Circa abstractionem positiuam affirmo, prædicatū minus vniuersale, seu coniunctum cum alio, quod non sit minus vniuersale illo, habere eandem vniuersalitatem in præcisione positiua, quam in abstractione, quod sic probō. Prædicatum minus vniuersale, rationale, v. g. coniunctum cum animali in hoc complexo *animal rationale*, se extendit ad omnia illa, ad quæ se extenderet si non esset coniunctum cum animali, & illa significat cum eadem confusione, seu indistinctione inter se, quæ eadem significaret, si non coniungeretur cum animali, quia conceptus animalis non restringit conceptum rationalis sibi coniunctum, cum ex se animal latius patet quàm rationale, neque discernit rationale à rationali: ergo rationale eandem vniuersalitatem habet, quando coniungitur cum animali ac si cum illo non coniungeretur, cum vniuersalitas consistat in pluralitate obiectorum, & ipsorum confusione.

2 De termino vniuersaliori coniuncto cum alio minus vniuersali censeo non retinere in præcisione positiua eandem vniuersalitatem, quam haberet in negatiua: quia conceptus animalis adiunctus conceptui rationalis in hoc complexo *animal rationale* non supponit pro omni animali, contrahitur enim per rationale adiunctum ad illa animalia, quæ sunt rationalia, & pro illis tantum supponit, & nō pro aliis, sed ex vi præcisionis negatiue, quæ tantum apprehenderetur *animal* conceptus iste se extenderet ad omnia animalia: ergo ad pauciora se extendit animal in præcisione positiua, quàm in negatiua. Affirmo nihilominus non omnino suam vniuersalitatem amittere conceptum illum, sed manere vniuersalem respectu illorum inferiorum, ad quæ alter conceptus minus vniuersalis se extendit, quia omnia sub se continet, & illa inter se confundit absque discretione vnus ab alio. Itaque in hoc complexo *animal rationale*, rationale retinet eandem vniuersalitatem, quam haberet si non esset animali adiunctum; & animal amittit vniuersalitatem, quam habebat respectu equi, & leonis, aliarumque specierum, & remanet vniuersale respectu Petri & Pauli, & aliorum indiuiduorum speciei hominis, quæ omnia absque ipsorum discretione comprehendit, & nullo modo alia ab his distincta.

3 Secunda difficultas est; an actus per quem fit vniuersale attingat omnia indiuidua distinctiue, vel copulatiue. Hurtadus disputat. 5. Metaphysic. sect. 10. §. 157. & §. 179. affirmat actum illum distinctiue attingere omnia indiuidua, & hac ratione defendit totum vniuersale posse prædicari de quocumque indiuiduo, quia omnia indiuidua distinctiue sumpta bene possunt de vno indiuiduo prædicari, sicuti prædicantur in hac enunciatione *Petrus est aliquis homo* quæ formaliter cum infra conuertitur, *Petrus est Ioannes, vel Paulus, vel Franciscus, &c.* Melius affirmat Arriaga disput. 6. sect. 6. subsect. 2. per actum attingentem indiuidua distinctiue non posse fieri vniuersale. Ratio præsto ad abstractus disungens indiuidua, seu inferiora illa inter se distinguit, distinctio enim sine distinctione esse nequit, necessariò enim illud, quod ab aliquo distinguitur, ab eodem distinguitur: ergo actus ille non representat illa indiuidua vt vnus, seu instar vnus naturæ indiuiduabilis: ergo actus ille non constituit naturam vniuersalem. Quod si dicas per actum, quo cognoscitur hic homo, vel ille homo, vel ille homo, non perfectè cognosci illorum

H 2 singularita

singularitates, ac proinde has inter se confundendum satisfacies, quia etsi aliquo modo confundantur, quia perfectè non cognoscuntur, non ita confunduntur, vt non appareat distinctio singularium, & vt representantur instar vnius obiecti indiuisibilis, quod requiritur ad vniuersale constituendum. Neque alia ratio reddi potest, propter quam hi conceptus, *omnis homo, aliquis homo*, vniuersales non sint, nisi quia representant plura expressa ipsorum conjunctione, & disjunctione, quæ æquè distinctionem arguunt. Quomodo vniuersale de quocumque indiuiduo possit prædicari iam dixi, & asserui vniuersale tantum secundum hanc partem sui, de hoc indiuiduo prædicari, & secundum illam partem de illo indiuiduo, & sic accommodè per partes distributum de omnibus inferioribus prædicari.

4 Huic difficultati affinis valde est alia, an per actum iudicii fiat vniuersale, quæ alio modo inquiritur, an videlicet natura in actuali prædicatione maneat vniuersalis. Consequenter ad id, quod in difficultate præcedenti dicebat Hurtad. dicendum esset naturam manere vniuersalem in actuali prædicatione, etiam si illius subiectum sit indiuiduum, quia de illo totum vniuersale prædicaretur, si hoc diceret omnia indiuidua sub disjunctione. Nos verò consequenter ad doctrinam traditam necessariò tenemur dicere prædicatum naturæ vniuersalis secundum totum id, quod dicitur identificari cum subiecto, neque extra illud se extendere, ac proinde in hac prædicatione *Petrus est homo* prædicatum non manere formaliter vniuersale, quod sæpe dixi.

5 Difficilius est definire an quando subiectum, & prædicatum ex se sunt æquè vniuersalia vtrumque suam vniuersalitatē retineat, & consequenter an quando vnum est vniuersalius alio, minus vniuersale suam retineat vniuersalitatem, & magis vniuersale illam coarctet ad inferiora alterius extremi minus vniuersalis sicuti modò dicebamus de terminis positivè prædictis.

6 Ad hanc difficultatem definiendam noto, dupliciter posse supponere subiectum propositionis. Primò simpliciter seu immobiliter secundò personaliter. Simpliciter seu immobiliter, supponere dicitur subiectum, quando non verificatur de illius inferioribus distributivè, aut disiectivè sumptis, sed de toto illo immobiliter sumpto, sicuti in hac propositione *homo est species*, personaliter subiectum supponit, quando de illius inferioribus disiectivè, aut distributivè sumptis dicitur prædicatum, vt in his propositionibus *homo currit, homo est rationalis* ex quibus licet inferri: ergo hic homo currit, vel hic homo currit, &c. & hic homo est rationalis, & hic homo est rationalis. His præmissis assero in hac prædicatione, *homo est species*, subiectum retinere eandem vniuersalitatem, ac haberet extra illam, quia ad eadem inferiora, & æquè confusè in hac propositione, & extra illam eodem omni modo se extendit.

7 De terminis personaliter supponentibus maior est difficultas, circa quos primò statuendum est, in propositionibus quarum alter terminus afficitur signo distributivo, aut disiectivo neutrum illorum esse vniuersalem. De termino signo affecto certum est, quia termini illi extra propositionem vniuersales non sunt; ergo neque intra propositionem. De extremo altero, de rationali, v.g. in his propositionibus, *omnis homo est rationalis*, & *aliquis homo est rationalis*, eadem ratione probatur. Quia sicuti subiectum huius propositionis distributivè supponit, & huic æquivaleret *hic homo est rationalis*, & *hic homo est rationalis*, & distinctionem connotat in indiuiduis tenentibus se ex parte subiecti propter illorum conjunctionem significatam signo *omni*, sic eadem distinctio significatur ex parte prædicati, quod cum subiecto identificatur eadem distributione, qua subiectum significatur, hoc rationale cum hoc homine, &c. Similiter disiectio subiecti disiectivè prædicati significat, quia cum dicimus, aliquis homo est rationalis, sensus non est hunc vel illum hominem esse rationalem vt sic, seu omnia indiuidua rationalia copulativè sumpta, sed esse hoc rationale, vel illud rationale, &c. ob eandem rationem dicendum est in propositionibus, quarum prædicatum accidentaliter de subiecto dicitur, extrema non posse esse vniuersalia, quia tunc subiectum disiectivè supponit & nunquam de toto illo copulativè sumpto, prædicatum enunciat, cum enim dicimus, homo est albus, idem formaliter est ac dicere, aliquis homo est albus, neque de collectione hominum copulativè sumpta dicimus esse albam.

8 Super est tantum difficultas de hac propositione homo est rationalis, & aliis eiusdem rationis cum ista. Per hanc propositionem naturam fieri vniuersalem defendunt Arriaga disput. 6. sect. 9. & plures alij recentiores. Ratio est, quia in illa propositione tam ex parte subiecti, quam ex parte prædicati confunduntur singularia, & absque distinctione prædicantur, & de tota collectione hominum significata per modum vnius prædicati collectio rationalium eodem modo significata. Alij negatiuam partem tenentur, quia in propositione illa, indiuidua tenentia se ex parte subiecti distributivè significantur, & consequenter cum distinctione, quam involuit distributio, hæc enim propositio *homo est rationalis*, & alia huiusmodi indefinitæ in materia necessaria, æquivalent vniuersalibus, quarum subiectum signo *omni* afficitur, ac proinde idem est dicere *homo est rationalis*, ac dicere *omnis homo est rationalis*, & sicuti in hac posteriori propositione subiectum vniuersale non est, sic neque in priori. Sentio vtrumque sensum posse habere propositionem respondentem his vocibus *homo est rationalis*, quæ substitui possunt loco conceptus, qui significet collectionem hominum per modum vnius representatam identificatam cum collectione rationalium eodem modo significata, ex vi cuius conceptus fiet vniuersalis natura. Possunt etiam substitui loco conceptus, qui significet distributivè identitatem hominum cum rationabilibus, ex vi cuius conceptus non constituitur vniuersalis natura propter rationes posterioris sententiæ. Frequentius tamen fieri contingit posterior iste conceptus, ideo dicitur propositiones indefinitas æquivalere vniuersalibus, in materia necessaria, quod intelligendum est, quando in materia necessaria non fit prædicatio de collectione contenta sub nomine communi per modum vnius significata. Quod si ita collectum sumpta in propositione sumantur, propositio illa non æquivaleret propositioni indefinitæ, propriè loquendo, poterit tamen ratione materiz aliquo modo dici æquivalens, quia ex indefinita vniuersalis licet inferri. Idem iudicium fertur de simplici comparatione, si enim natura vniuersalis cum indiuiduis seorsum sumptis comparatur, per illam vniuersalis non fiet; si autem tota natura vniuersalis comparatur cum tota collectione indiuiduorum, ex vi huius comparationis vniuersalis euadet, vt supra dicebam.

9 De comparatione per quam fit vniuersale in dubium vertitur, an includat simplicem actum, an plures. Affirmant nonnulli includere duplicem actum; quendam ex vi cuius apprehenditur natura secundum se, per quem constituitur vniuersalis; alium per quem apprehenduntur indiuidua, ad quæ natura illa comparatur. Ratio est, quia in comparatione apprehenditur natura secundum se, quod est apprehendi omnia indiuidua confusè, & indistinctè, & apprehenduntur indiuidua seu inferiora, ad quæ natura comparatur vt inter se distincta, quod implicat fieri ex vi eiusdè cognitionis, quia eademmet cognitio non potest distinguere, & confundere eadè inferiora, aliàs eademmet inferiora distinguere, & non distinguere, confundere enim est non distinguere; ergo eo ipso, quod inferiora confundat, non distinguit illa; ergo si distinguit & confundit eadem indiuidua, eademmet indiuidua distinguet. Verius patet comparationem dicere simplicem actum, ex duplici enim non posset fieri vna comparatio, quia cognitio, quæ apprehenderet inferiora distinctè, disparatè se haberet respectu cognitionis, ex vi cuius eadem inferiora confusè representarentur. Ad rationem adductam pro opposita sententia respondeo eademmet indiuidua bis representata per eandem cognitionem ac si essent duplex obiectum distinctum semel in recto, & iterum in obliquo, posse in recto significari confusè, & non distingui, & in obliquo distingui, & significari distinctè, in quo nulla est contradictio, distingui enim indiuidua vt significata in obliquo per hanc cognitionem, & non distingui vt significata in recto, nullo modo opponuntur, sicuti non opponuntur in hac propositione, *homo est animal rationale*, partes hominis vt significatæ ex parte subiecti confundi, & non distingui, & vt significatæ ex parte prædicati distingui, & non confundi.

10 Circa potentiam, à qua fiat vniuersale, dico breuiter à Deo non fieri vniuersale cognitione immediate terminata ad naturam, seu ad indiuidua, quia Deus cognitione immediate terminata ad obiecta illa distinguit, & secundum omnem sui vltimam perfectionem intimè penetrat. An verò Deus

Deus possit facere vniuersale cognitione immediatè terminatà, ad cognitionem, ex vi cuius illam conficio, in qua cognoscat indiuidua eà ratione, quā ego eadem cognosco pendet ex difficultate, quam Theologi tractant i. part. quest. ... an videlicet dicat imperfectionem in Deo ipsum confusè obiecta cognoscere in medio, quod tantum determinat ad illa confusè cognoscenda, in qua quidam dicunt cognitionem imperfectionem inuoluere, in quorum sententia dicendum est Deum nullo modo posse facere vniuersale. Alij negant huiusmodi cognitionem aliquam in Deo imperfectionem importare, iuxta quos dicendum est, Deum posse facere vniuersale non cognoscendo in se ipsa immediatè naturam, sed in cognitione creata, ex vi cuius confusè omnia indiuidua cognoscuntur, & instar vnus naturæ indiuiduæ repræsentantur. Quæ harum sententiarum verior sic alienum est ab hoc opere definire.

11 Eadem ratione respondendum questioni inquirenti, an vniuersale fiat à potentia Angelica, quæ dependet ex modo, quo Angeli cognoscunt, si enim Angelo non repugnet species aliqua, ex vi quarum confusè, & instar vnus ea, quæ in re sunt plura cognoscat, non repugnabit ab Angelo per hanc cognitionem vniuersale fieri. Si verò Angelus huiusmodi cognitionem habere non possit, non poterit ab illo fieri vniuersale. An verò huiusmodi species Angelus de facto habeat, & an illi repugnet à Theologis definiendum est.

12 De nomine tantum est questio. An vniuersale possit fieri à voluntate, certum enim est voluntatem posse ferri in obiectum eadem ratione, quā ab intellectu proponitur, & propositis pluribus indiuiduis instar vnus naturæ indiuiduæ per cognitionem, ex vi cuius fit vniuersale, posse eademmet obiecta, ac si essent vnum, sine aliqua ipsorum distinctione amare. Ob hanc rationem quidam affirmant voluntatem facere vniuersale, quia amat obiecta, quæ in se sunt plura, ac si essent vnum indiuiduum obiectum. Alij negant ex hoc capite dici posse à voluntate posse fieri vniuersale, quia voluntas non præcindit illud obiectum, sed illud supponit præcism. Non acquiesco huic rationi, quia etiam obiectum supponit præcism, potest iterum, & iterum præcindi, quia præcindi nihil aliud est quàm hac ratione attingi actu intentionali, & postquam hac ratione attractum est per hunc actum, potest per alium, & alium actum eadem ratione attingi. Alij melius negant vniuersale fieri à voluntate, quia volitio quantumvis obiectum præcism agnoscat, illud non constituit præcibile, quia ab ipsa voluntate non potest prædicari, neque immediatè ex ipsa volitione intellectui vt præcibile repræsentatur.

13 Ob eandem rationem negandum est fieri vniuersale à sensibus externis, & interno, quia sensus prædicationes non eliciunt, neque sensatio immediatè proponit intellectui obiectum præcibile, est verum fit aliquando percipere simul duo obiecta adeò imperfectè, vt instar vnus sensui appareant, vt contingit cum à longè videmus plura obiecta, in quibus distinctionem sensus non percipit, sed instar vnus indiuidui illa, quæ in se diuisa sunt intuerur.

PUNCTUM IX.

De predicatione actuali.

1 PREDICATIO est actus potentie prædicabilis, ideo postquam vniuersalis prædicabilitatem explicauimus ad actuale prædicationem descendimus. Prædicatio est enunciatio vnus de alio, de qua in præfati tantum agimus, quatenus his, vel illis terminis sub hac vel illa subiecti, & prædicati dispositione constat, in præfati que suscepimus explicandum, quomodo inter se in ratione subiecti, & prædicati possint & debeant termini comparari, vt prædicatio vera euadat.

2 Duplex est prædicatio; quædam directà, alia indirecta. Prædicatio directà est illa, in qua subiectum est inferius, & prædicatum superius, vel si sint inæqualia prædicatum se habet per modum forme respectu subiecti, sicut in his propositionibus, *homo est animal; homo est rationalis*. Prædicatio indirecta est, in qua prædicatum est inferius subiecto, vel si sint æqualia, subiectum ex sese habet veluti formam prædicati, sicut in his propositionibus, *animal est homo;*

Franc. de Ouedo, Philosoph. tom. I.

rationalis est homo. Rursus prædicatio alia est formalis, alia identica. Identica est illa, in qua subiectum non solum est idem cum prædicato, sed in qua subiectum eodem omnino modo ac prædicatum apprehenditur, vt in hac propositione, *Petrus est Petrus*. Propositio formalis est illa, in qua subiectum & prædicatum diuerso modo significantur vt in hac propositione, *animal est rationale*.

3 Cæterum in omni propositione formali est identitas inter subiectum, & prædicatum, quæ in omni propositione vera semper identificantur, vocatur autem identica propositio, quando subiectum & prædicatum obiciuntur eodem modo, quia tunc est pura identitas non solum conceptuum obiectiuorum, sed etiam formalium, in hac enim propositione, *Petrus est Petrus*, non reperitur vnus conceptus ex parte subiecti, & alter ex parte prædicati, sed idem bis repetitus, quod non reperitur in propositione formali, in qua etsi sit identitas in conceptibus obiectiuis, non hæc in formalibus reperitur. Hinc est, quod in his propositionibus formalibus, quædam sint veræ tantum ratione identitatis, quam continent obiectiui conceptus; aliæ verò non solum ratione identitatis, sed ratione conuenientie. Exemplum priorum sint hæc propositiones *alio est passio; iustitia Dei est misericordia*, licet non sint formales, veritatem desumunt non ex aliqua conuenientia forme ad subiectum, vel superioris ad inferius, aliisve rationis, quæ sit inter extrema, sed propter puram identitatem. Hæc autem conuenientia est vt prædicatum, & subiectum habeant aliquem ordinem, vel generis ad speciem, vel speciei ad indiuiduum, vel differentia ad speciem quam componit, vel ad genus, quod contrahit, vel forme ad subiectum.

4 Hinc inferes ad propositionem veram purè formalem tria requiri; identitatem subiecti cum prædicato; diuersum modum significanti; ordinem inter prædicatum ad subiectum, superioris ad inferius, vel subiecti ad formam siue physicam, siue metaphysicam, siue accidentalem. Hinc est quod prædicatio generis de speciebus, & speciei de indiuiduis sint formales, quia sunt prædicationes superiorum ad inferiora, & prædicationes tertij, quarti & quinti prædicabilis, quia sunt prædicationes formarum, quæ physicè aut metaphysicè subiectum afficiunt.

5 Insuper animaduertendum est terminos prædicationum aliquando esse nomina abstracta, aliquando concreta. Rursus tam concreta, quàm abstracta, quædam sunt accidentalia, alia substantialia. Concreta dicuntur, quando significantur non solum forme aut subiecta nuda, sed forma connotans subiectum, aut suppositum, vel subiectum, vel suppositum vèritum formam. Abstracta dicuntur quando significantur forme præcisæ, vt humanitas & albedo. Insuper vtraque concreta aliquando significantur substantiue per modum per se stantis, aliquando adiectiue, seu per modum alteri adiacentis. Concreta substantialia substantiua sunt homo, & equus; adiectiua animatum, & humanatum. Concreta adiectiua sunt album, & dulce; substantiua arrifex, & creator: addunt nonnulli huiusmodi complexa albedo in pariete, dulcedo in saccharo. Tandem concreta, & abstracta, quædam sunt primæ intentionis, quæ independenter ab intellectu suas habent entitates sicut homo, & humanitas, album, & albedo; quædam secundæ intentionis, sicuti genus, & species, genereitas, & specieitas. Frequens est apud aliquos vsus horum nominum substitutum, & constitutum, ne tamen vocis nouitate terrear, scito constitutum esse idem, quod concretum, quod ex forma & subiecto constituitur, seu constitutum est, & substitutum dici subiectum, quod forme subternitur.

6 Supponendum est etiam tam concreta accidentalia, quàm substantialia significata per modum adiectiui dicere subiectum in recto, & in obliquo formam, album enim idem est, ac habens albedinem, & animatum idem importat, ac habens animam. Deinde suppono concreta substantialia substantiue significata significare in recto naturam, & in obliquo substantiam, homo enim idem est ac natura humana cum subsistentia. Hæc propositio non est certa apud omnes, illam tamen optimè propugnat P. Valsq. tom. 2. i. partis disp. 135. num. 8. & 18. Abstineo à rationibus, quas adducit P. Valsquez, quia Theologica sunt, quandamque ad Philosophiam spectantem breuiter subiicio. Hæc est vera propositio *homo est constans corpore & animâ*: ergo id, quod ponitur ex parte subiecti est natura, & non subsistentia, quia de hac non dici potest constare corpore & animâ,

H 3 sicuti